
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PALPITATIONE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PALPITATIONE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS TUDOR DUNCAN.

SCOTO-BRITANNUS,

SOCIET. REG. MED. EDINENS.

SOC. EXTRAORD. ATQUE NUPER PRÆSES ANN.

*Di custodir, quanto più puoi, procura,
Il cuor, donde ogni bene, e mal deriva.*

CASAREGI.

Ad diem 12 Septemb. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

1803.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

VIRIS EGREGIIS

JACOBO HOME,

M. D. S. R. E. S.

COL. REG. MEDIC. EDIN. SOC.

MAT. MED. IN HAC ACAD. PROF.

ATQUE

JACOBO CURRIE,

M. D. S. R. S.

COL. REG. MEDIC. EDIN. SOC.

SOC. REG. MED. EDIN. SOC. HON.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

BENEFICIIS DEVINCTUS,

D. D. D.

AUCTOR.

VIRO REVERENDO

GEORGIO DUNCAN,

APUD LOCHRUTTON IN AGRO GALLOVIDIENSI,

V. D. M.

PATRI CARISSIMO,

QUIBUS DECET

PIETATE ATQUE AMORE,

OFFERT

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

VIRO REVERENDO

GEORGIO DUNCAN,

ABD. DOCTORUM IN AGRO GALLIENSIS

M. D. C. C. C.

ERRATUM.

Pag. 28. l. 7, *pro neve lege vel.*

QUIBUS DECRET

FILIUS

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PALPITATIONE.

AUCTORE THOMA TUDOR DUNCAN.

What ails this heart o' mine?

CANT. SCOT.

ÆCONOMIAM fabricæ humanæ spectanti tria præcipuè organa attentionem alliciunt, Cerebrum, nimirum, Pulmones, atque Cor. Hæc fontes sunt unde corpori toti vita potissimum derivatur.

Organa quæ, in sanitate, animali maximè profunt, si quando malè sese habent eventus infelicissimos gignunt. Hinc fit, ut, læso quovis organorum jam designatorum, unumquodque corporis membrum seriùs ociùs afficiatur; fun-

A

ctionibus

ctionibus ejus sublatis vel suspensis, *systema* totum vitæ indicîis illicò et subitò privetur.

Hæc igitur organa attentionem medici optimo jure sibi vindicant; atque, si in hoc tentamine locus effet de his omnibus dicendi, me ad pensum quam lubentissimè accingerem. Sed limites hujus dissertationis arctiùs coërceam oportet, eorumque unius tantum functionibus, illius nempe quod sanguinis circuitum per fabricam efficit, conservat, moderat, attentionem adhibebo. Affectionem igitur morbidam, cui cor maximè obnoxium, *motum*, scilicet, *vehementem*, *abnormem*, hujus tentaminis argumentum eligere visum est.

HISTORIA MORBI.

Hicce morbus pauperum tabernas, æquè ac divitum turren, frequentat. Illos tamen infestissimè vexat quibus mentes gaudio, vel luctu,
 vel

vel terrore, vel alio quovis affectu, faciliùs et vehementiùs agitantur; qui adhuc juvenes; qui sanguine pleni, suspensis præsertim solitis fluxibus humoris; et illos demum, quibus thoraces, malè formati, functiones debitas ægrè perficiunt.

Per intervalla præfinita subit nonnunquam palpitatio; sed sine tempore vel gradu impetûs statuto infelicem plerumque adoritur. Dormientem sæpe inopinatò visitat et misero somnium turbulentum subitò rumpit, *phantasmatis* vera, nec sanè cum fructu, permutaturo. Mensæ socialiter accumbenti haud rarò hilaritatem interturbat; vel labore aut mentis agitatione vexato, dolores auctura venit, malè accepta hospes.

Anxietas circum præcordia, respiratio crebra et difficilis, accessus ejus prænuntiant. Antequam cordi animadvertatur, arteriæ ad carpum pulsus plerumque intermittere sentitur, et for-

mato

mato jam *paroxysmo*, pulsus iste, cordis pulsationi ad costas nonnunquam non respondet *. Parvus est aliquando atque debilis, vix etiam sentiendus. Accrescente jam vi *paroxysmi*, dolorem molestum in præcordiis, inque thorace anteriore ponderis sensum experitur ægrotus. Dolet caput; confunduntur sensus; turgent venæ et arteriæ capitis; tinniunt aures; machina tota perturbatur; tremunt demum artus; corpus totum languescit. Interea non constat ei color; alternant insuper algor atque calor, et *paroxysmo syncope* finem imponit.

Talis videtur *paroxysmus* acerbissimus. Rarò tamen aspectu tam terribili incessit, nec tantis neve tot satellitibus comitatus. Anxietas saltem et ponderis circum præcordia sensus, durante
accessu,

* Ut in exemplo *Jac. Lawrie* in Nosocomio Regio ab
 eximio Dre. JACOBO HOME nuper tractato vidimus.

accessu, mali perpetuos indivulsofque comites se-
fe præbent.

Est porrò ubi fit palpitiatio continua, nullâ
exacerbatione vel remiffione evidente. Hujuf-
modi ferè est fpecies unica *idiopathica* quam re-
cenfuit *nofologus* nofter nunquam non reve-
rendus.

In hacce differtatione, in animo èft palpi-
tationem tum *idiopathicam* tum *fymptomaticam*
tractare.

CAUSÆ REMOTÆ.

Abnormem de quo nunc agitur motum *Irrita-
tatio infolita cordis* efficit.

Irritatio ifta cordis, originem potèft ducere
vel *ab organo ipfo nimiùm irritabili*, vel *a ftimulo*
ei applicato præter folitum pungente.

Cor

Cor potest *actione sanguinis aliûsve extranei acerbiùs æquo stimulari, vel ope nervorum, irritatio a parte remotâ cum eo communicari potest.*

Cordis *irritabilitas* augeri potest vel morbo *ipsius prævio, vel corporis totius morbidâ mobilitate auctâ.*

A sanguine cor stimulari haud difficulter demonstratum fit. Circumligatâ venâ cavâ, cordis motus infirmatur, penè deletur; sed ut primùm sanguis in alveum solitum fit redux, validiùs quam antea redintegratur actio cordis. Ad hunc effectum edendum, *oxygenium* quod sanguis complectitur plurimum contribuere satis verisimile videtur: nam quo major *oxygenii* copia cum sanguine permisceatur, eo, magnâ ex parte, mobilius cor fieri compertum est. Inhalato, scilicet aëre vitali strictiùs sic dicto, pulsûs arteriarum velocitas a LXIV ad CXX in horæ minuto accelerata est; inspirato autem aëre *oxy-*
genio

genio privato, modò non deletum pulsum fuisse fertur*.

Verum enimvero sanguis non unicus est ad cor stimulandum idoneus. Ex musculis hoc organum constans, ab omni acri ei admoto, tum *chemico* tum *mechanico*, molestiam sentit. Calori, verbi gratiâ, inesse facultatem cor vexandi, pulsus ejus actione acceleratus docet. In experimentis apud Liverpool a Doctore ingeniosissimo Dobson institutis, juvenis sani, calori qui mensuram *Fahrenheitianam* ad gradum CCX. elevabat, objecti, pulsuum frequentia a LXXV ad CLXIV augebatur. Porrò, cor ab omni stimulo *mechanico* irritationi obnoxium esse in promptu est omnibus. Docent enim experimenta quamplurima in brutis animalibus facta, cordibus exsectis et in lucem prolatis.

His

* Vide Beddoes *Observations*. Vide etiam Goodwin, atque Humboldt in *Dris. Duncan Annals of Medicine for 1799*, p. 228.

His concessis, causas palpitationis usitatissimas detegere haud arduum erit.

Quò cor probè functiones suas absolvat, certa debet esse proportio inter quantitatem sanguinis movendi atque vim motricem organi:— vis quoque humoris irritantis, cordis mobilitatis gradui respondeat necesse est. Nimius enim sanguis, solitis cordis viribus nimiùm obfistens, vice stimuli agit, ad nisum insolitum excitantis. Ad obstructionem expugnandam cor nervos nunc omnes intendit. Extemplo fibræ ejus furiosè agitantur; iterum iterumque se rapidè simul contrahentes, expandentes, donec humorem obstantem expulerint, vel donec, exhaustis viribus, aliquandiu deficiat animus. Hoc modo palpitationem istam duram *plethorâ* ortam, explicare licet.

Hujusmodi quoque est ratio ejus quod evenit a sanguine in venis pulmonalibus obstructo. Hoc enim factò, cordis actio statim afficitur: at

non

non fanè infirmatur. Contra omnino, fanguis in corde dextro accumulatus ad nixus multo validiores hoc incitat, cordeque sinistro in consensum cum focio actò, organum totum vehementer micat*. Hinc ratio plenè redditur cur veniat palpitatio a fanguine in pulmone impedito, ut fit in *Asthmate, Phthisi, Peripneumonia Notha, Bronchiorum ossificatione.*

Quin et fanguinis circuitus obstructus in partibus a corde longiùs etiam remotis inter causas palpitationis non immeritò recensetur. Huic causæ nonnunquam fortasse referri debet palpitatione ventriculo nimiam distento superveniens, quippè quæ originem aliquando ducat ab *aortâ* hoc viscere adeò compressâ ut motus fanguinis indè impediatur. Nec rara est hæc palpitationis causa. Malpighius, in literis amico suo Borellio scriptis, se hujus mali accessum, comedis certis leguminibus, rarò evitâsse declarat: nec Hippo-

B

crates

* Senac, *Du Cœur.*

crates asserere dubitavit ventriculi inflationem comitem ejus morbi assiduum se præbere.

Hanc causam signa sequentia indicant; vultus, scilicet, rubor, dolor capitis, halitus difficilis, singultus, carotidarum, arteriarumque aliarum ad partes superiores ducentium, pulsatio vehemens, cum calore crurum minuto.

Ratio horum symptomatum explanatu haud difficilis est, nec ineptè exponitur ingenioso sed crudeli periculo a Van Swieten memorato, in quo *aortam* descendentem canis circumligavit. Sanguine enim apud cor sinistrum accumulato, cor istud, de more, novum stimulum expellere conabatur. Sanguis igitur adeò vehementer compressus, transitum deorsum, ligamento, retrorsum, valvulis *mitralibus* prohibentibus, quà solum data porta ruit, per arterias, scilicet, *carotidas* atque *subclavias*. Turgentibus tunc capite brachiisque propter humorem in partes superiores coactum, valdè palpitante corde propter sanguinem

sanguinem stagnantem motuique ejus solito obstantem, animal miserandum mors tandem cruciatibus eripuit.

Verum enimvero hoc experimentum quo jam usus sum ad modum quo ventriculus epulis oneratus circuitum sanguinis afficit illustrandum, minimè forsan omnes *phænomeni* causas explicat. Consensus peculiaris cordis cum ventriculo existere videtur. Pressura quoque diaphragmati admota ad effectum conferre potest; motu enim istius musculi impedito, pulmonis etiam, cordisque actio aliquatenus afficietur.

Ventriculus malè se habens plerumque causa tantum excitans est palpitationis; rarò enim molestiâ cor afficit, nisi corpore priùs ad morbum proclivi. Alii hoc malo statim a pastu corripuntur; alii nihil ægritudinis sentiunt donec cibus ingestus concoctionem iniêrit. Hi, quod ad qualitatem, illi, quod ad quantitatem, cibi attinet, inconsulti. Utroque modo ventriculus

culus distentus; uno, solido victu, altero, spiritu per concoctionem minùs sanam extricato. In proximo exemplo, flatibus emissis levatur ægrotus.

Par quoque ratio est cur palpitatio in utroque sexu ab aneurismate oriatur. Num justum esset eidem causæ proclivitatem referre quam ad illum morbum experiuntur gravidæ? Palpitatio febris superveniens, vasorum extremorum obstructione spasticâ, ut credo, fieri potest. In his exemplis haud dubitandum quin mobilitas generalis morbidè aucta ad effectum molestiorem reddendum conferet.

Causis illis quae palpitationem, sanguinis circuitu obstructo, inducunt, annumerati sunt *Polyphi*; deque iis, dum haec opinio valeret, varii, nec parvae auctoritatis, medici copiosè differerunt. In corde atque vicinis vasis sanguinem vehentibus talia concreta haud dubiè detecta sunt. De hac re tamen scrupulus nuper injectus

tus est, et non ante formatos esse quam sanguis circuitu destitisset nunc valdè suspicatur*. Sin autem vivo adhuc animali reverâ existant, cor irritent necesse est.

Patrem nonnunquam proli transmittere Polypus auctor est Hoffmannus. Fons hujus opinionis probabiliter erat propensio ad palpitationem, quae saepe, velut ad *Hysteriam* variosque morbos nervosos, hæreditaria observatur.

Motus autem sanguinis impeditus non solum actionem cordis abnormem facit. Humor iste actuosus acribus, inter circuitum perficiendum collectis, quae cor in convulsionem cedere possunt, interdum oneratur. Hâc fortasse ratione, magnâ ex parte, efficitur palpitatio, quae *perspirationis*, eruptionis, puris, repulforum est sequela.

Porro,

* Kerkrengius. Joannis Bell, *Anatomy*.

Porro, immodica musculorum exercitatio alia est, nec infrequens, palpitationis causa. Siquidem morbi definitio leves illas pulsationes cordis comprehendit, quae, etsi abnormes, tamen brevè cessant, nihil profectò malum saepiùs excitat. Nec defunt exempla diuturnae propensionis ad palpitationem exercitatione vehementiore inductae:

Ratio hujus effectûs non adhuc in apricum profertur. Non dubitandum quin sanguis per venas redux musculorum agitatione cursu in cor accelerato propelletur, stimulum potentiorem praebiturus. Hoc tamen ad rem plenè explicandam parum sufficit, *oxygenique* nimium cordi applicatum ad effectum fortasse confert. *Oxygenium*, ut jam observatum est, cor sinistrum valdè stimulare potest; et quo major ejus quantitas huc sanguine provehatur, eo validiùs et velociùs cor, pro portione, micat. Quin et vis corpori insita ab *oxygenio* quod in musculis inest quodammodo pendere videtur. Inde fit ut simul ac

vires

vires intenduntur copiosius *oxygenii* subsidium e pulmone exigatur. Rebus igitur ita se habentibus sanguis *oxygenii* plenior per cor sinistrum transit, et inter eundem, irritationem insolitam, originem mali de quo nunc agitur, auget.

Inter varias causas morbi nunc enumeratas affectionem fabricae hujus organi disponamus; Carditidis *symptoma* assiduum est palpitatio. Huc quoque referri debet vellicatio atque coërcitio cordis a *pericardio* contracto vel hydropico, vel denique auctâ magnitudine ipsius organi ortae. In his exemplis cor extrinsecus irritatur, causæque sine remissione, nec sanè submotu faciles, agunt.

Caeterùm stimuli cordi proximè admoti non soli sunt idonei ad id in motum abnormem incitandum Irritatio enim parti, utcunque distanti, adhibita, ad id usque pervenire, motumque ejus perturbare potest. Nam ut cuncta machinae organa cordi consensum praebent, sic cor ipsum
cum

cum omnibus organis vicissim consentit. “ Un doigt blessé affecte le cœur, lien si fragile de l’ame et du corps.” *

Quin haec *sympathia* per nervos, plerumque saltem, fiat, nil dubitandum. Cum aliis membris cor consensum specialem habet, nervo inter ea directè intercedente; cum aliis, consensus generalis est, nec fit nisi per cerebrum, nervorum originem. Uno vel altero horum modorum naturâ statutum est cor palpitationi, ab unaquaque corporis parte certo modo affectâ, obnoxium esse. Sic ventriculus vel intestina irritata, quale actione cibi crudi vel vermium accidere solet, accessum morbi inducunt.

Ad cor quoque, operâ nervorum, effectus stimulorum pervadunt, non modò corpori, sed etiam menti applicatorum. Arctus hicce nexus, qui cerebrum inter atque cor intercedit, causa fuit

* Senac.

fuit cur hoc affectionum animi sedem majores olim crederent, poëtæque nostri ad hunc usque diem fingant. Hac quoque de causâ, palpitationes perdîtè amantis in proverbii locum abiêrunt, corque ipsum sagittis Cupidinis transfigi dicitur. Tristitiâ gravi affectum cor pro disrupto habetur. Ob eundem quoque nexum convulsiones a subito terrore metuve protracto fiunt, atque huc referri debet nitor picturæ graphicæ timiditatis :

— *Seu mobilibus veris inhorruit*

Adventus foliis, seu virides rubum

Dimovere lacertæ,

Et corde et genibus tremit.

HORAT.

Affectionum animi aliæ sanguine in superficiem, faciem præsertim, propulso, aliæ extremis vasis constrictis eodemque repulso, sese manifestas reddunt. Primum horum effectuum rubor, alterum pallor, vultûs demonstrat. Cutis sanguine

C

subitò

subitò suffusa vires quæ humoris ejus circuitui præfunt turbatas indicat; sanguisque repulsus renixum adversus cordis actionem denotat, unde fortasse fit ut organum vehementiùs agitur. Gravis ira sanguinem in caput nonnunquam tantâ vi protrufit ut, cerebri vasis ruptis, furibundus humi, resolutis nervis, derepentè procubuerit. Quin et acerbioze adhuc furoze cor ipsum diffiluisse fertur*. Est quoque ubi suffocationem exitiosam ira induxit, nec rarò aneurisma *aortæ* vel *carotidarum* pro effectu ejusdem meritò habetur. Illustris HUNTER nostras, irâ subitâ correptus, multis quidem flebilis, mortì occubuit.

Οὐ νῦν κατεΐδον πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις

Τραχεΐαν ὀργὴν, ὡς ἀμήχανον κακόν!

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς αἶδι προΐαψεν.

Nec

* Senac.—GEORGIUS II. Brit. Rex, disrupto cordis ventriculo dextro, e vitâ subitò decessit.

Nec mirum si palpitatio iracundiæ sit comes atque fatelles. Juvenis, secundum Hoffmannum, frigidâ in ipso *paroxysmo* furoris haustâ, palpitatione correptus est, quæ per anni spatium castigationes suas vix intermisit. Cibi ad stimulandum vel ad flatus movendum apti, mentis vel corporis agitatio, accessus ejus certissimè refoverunt. Viribus tamen haud interea minutis, victûs appetentia augebatur; nitebat vultus, corpus totum sanguine turgebat*.

Terrorem

* *Symptomatum* horum rationem omni fide dignam reddere non possumus. Conjecturas tamen facere licet. Juveni de quo sermo fit ira cordis, atque ideo sanguinis, motum ut videtur acceleravit. *Aorta* autem, aquæ frigore constricta, humoris vitalis descensum impediendo, accumulationem sanguinis apud cor efficeret. Unde fieret ut hoc organum, jampridem præter solitum excitatum, ad convulsiones adeo abnormes stimularetur ut semetipsum læderet vel arteriam quæ lateri ejus sinistro adhærebat. Si igitur res ita se haberet, quamdiu læsio ista vel effectus maneret, tamdiu

Terrorem palpitationem inducere quotidiana experientia docet *. In cordibus eorum qui terrore ac palpitatione simul correpti inopinatò pericrunt, multum sanguinis, nec probè cum *oxygenio* misti, repertum est; auriculæque ventriculive cordis, vel arteriæ magnæ multum dilatæ sæpiùs observatæ sunt.

Anxietas, spes, omnes demum affectus animi validiores, ut profectò bene notum est, cor adeo

tamdiu ad palpitationem cor proclivis foret. Rapidus sanguinis circuitus obstaret quò minùs vires deficerent. *Oxygenium* copiosius, magna materiei cum qua in conjunctionem coiret subsidia poscens, majorem cibi copiam requireret. Corpus sanguine turgebat; hunc enim humorem alimentum largè ingestum auget, dum motus cordis vehementer cursum acceleraret.

* Dum Clades per Lutetiam Parisiorum annis nuper præteritis grassabatur, morbus de quo nunc agitur, ut a medicis Gallicis accipi, mirum in modum prævalebat.

adeo stimulare, ut in latus crebrò atque strenuè feriat, possunt. Hoc variis modis efficiunt; non enim semper in cor ipsum proximè agunt; sæpe autem effectum eundem edunt, partes remotas adeo convellendo ut sanguinis circuitum perturbent, cordi molestiam indirectè adhibentes. Modus quo mens corpore et quo corpus mente vicissim afficiuntur æque in tenebris involvuntur. Non tamen dubitandum quin unaquæque exercitatio immodica principii sentientis actionem cerebri confundat, nervosque ad agitationem procliviores reddat. Hinc motus abnormes in variis corporis visceribus musculisque quotidie inducuntur.

Omnes nunc recensitæ causæ irritantes, corde morbidâ *irritabilitate* laborante, hoc organum plusquam duplice, pro ratâ parte, molestiâ vexabunt. In hoc statu non irritamenta tantùm potentiora, verùm etiam fortasse solitus stimulus sanguinis motus ejus in palpitationem accelerabit. Hæc cordis conditio, ut jamjam observatum

vatum est, a morbo organi ipsius originem trahat, vel auctâ totius machinæ mobilitate induci potest. Mobilitas hæc cum corporis debilitate arctissimè conjungitur adeo ut illa ferè hæc comitata observatur. Hinc, fabricâ morbo exhaustâ, omnia quæ mentem vel corpus stimulant vel agitent ab ægro sedulò amovemus; cumque mens atque corpus valdè irritabilia videntur, statim cum constitutione debili conjuncta esse concludimus. Eandem quoque ob rationem, quodcunque machinæ vires minuit ad musculos in convulsionem inducendos indirectè tendit. Hac scilicet ratione fit palpitatio, crebris arteriarum pulsibus comitata, quæ exinanitionum, sive naturâ sive arte inductarum, sequela est. Debilitatisque signa notanda sunt in eâ quæ *Hysteriam*, intemperantiam, Venerem nimis cultam, vitam sedentariam haud rarò comitantur. Atque ea quæ interdum podagræ repulsæ est sequela, aliorumve demum morborum corpus enerve indicantium, ab eodem fonte originem ferè ducunt.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Ex jam dictis, signa morbi maximè conspicua haud valdè difficilia erunt explanatu.

In palpitatione, pulsus sæpe parvus fit atque frequens. Hoc a corde nimiùm irritabili, atque idcirco citiùs se contrahente quam ad debitam expletionem sufficiat, provenire videtur.

Aliquando intermittunt pulsus, nec cordis motui respondent, quod a cursu sanguinis impedito, utpote *aneurismatis* operâ, fieri potest.

Cephalagia, tinnitus aurium, perturbatio sensuum, *carotidarum* pulsatio, sanguine vehementiùs in caput propulso inducuntur.

Dolorem

Dolorem acutum in regione cordis, prope os ventriculi, læsio nervi *phrenici* sinistri per partem pericardii prominentem transeuntis efficit.

Spiritus creber fit a sanguine per pulmones rapidiùs truso, subsidiaque *oxygenii* copiosiora affiduè poscente.

Respiratio difficilis venit a sanguine ægrè per pulmones transmissio, justo horum motu sic impedito.

Languor atque tremor viribus subito exhaustis originem debent.

Infomniorum terribilium, (neque profectò palpitationis a terrore exortæ) rationem reddere haud sperandum erit donec actionem reciprocam mentis atque corporis pleniùs detexerimus. Hoc tamen experientia docet, sensationes ingratas inter dormiendum plerumque cum infomniis tetrìs comitari; atque effectus

de quo loquimur anxietati morbidæ fortasse attribuentur.

Syncope quæ *paroxysmo* finem imponit cordis nimirum agitatione exhausti effectus est.

PROGNOSIS.

Quamvis hujus morbi *Prognosis* plerumque fausta sit, res tamen sæpe longè aliter se habet. Crebris enim atque validis contractionibus cordis, sanguis magno impetu in caput ruens, læsis nimirum fabricâ atque functionibus cerebri, *apoplexiam* vel *paralysin* vel *comam* creat. Hæ sunt profectò morbi sequelæ maximè metuentæ; quippe quæ subito et ex improvise miserandum rapiunt. Quin et multa alia mala eodem e fonte profluunt, quæ exortu quidem minus repentina, progressu minus rapida, at fanè in exitu haud minus lethalia evadunt. *Asthma*, *hæmoptysis*, *cachexia*, *hydrops*, *aneurisma*, vasa

D

disrupta;

disrupta, singula pro patre palpitationem identidem agnoscunt.

Quò justam sententiam de gradu discriminis proferamus, investiganda est causa mali excitans. Si hæc enim levis fit atque facilè summovenda, tenue quoque periculum esse solet; sin autem a fonte fluat quò clinici peritia pervenire nequit, tunc equidem jure timendum est. Mala quæ ab eâ feriùs ociùs generantur, mortis, ut jam dictum est, subitæ præcursores ferè sunt, neque ullus ab ejus impetu præcavere potest. Rectè igitur monuit Galenus, eos qui in juventute etiam palpitationi sunt opportuni, senectutis diuturnitatem vix expertos iri.

Præcepta generalia proferre, quibus freti, et quorum ductu, singulorum exemplorum causas excitantes detegere possimus, pensum sanè arduum vel prorsus irritum foret. At si perfici posset tentamen, non certè inutilis labor, non tenuis gloria. Etsi minimè nobis detur ad umbilicum

bilicum ducere, juvat tamen quædam fide digna tradere, quæ neque ab ægro neque a medico aliena sunt.

Quò meliùs causas dignoscamus, inquirendæ sunt res circumstantes inter quas, ante mali accessum ægrotus situs fuerat. Ad signa debilitatis viriumve sedulò animadvertendum est. De corporis temperie, de animi indole certior se faciat medicus, et inter curandum medicamentorum effectus studiosè notet.

In morbo primario cordis, exercitatio pleurumque nocet, atque inter respirandum dolorem vel sensum molestum haud facilè describendum in thorace experitur æger. Morbo autem symptomatiko tantum, plurimùm juvat sub pleno Jove deambulare atque discurrere, nec molestiam excitat spiritûs inhalatio.

Quando cordis inflammatio palpitationi originem præbet, *pyrexia* est non levis atque partis affectæ

affectedæ dolor cum pulsu inæquali, tussi, nonnunquam animi defectione. Vix intermissionem experitur hæc palpitatio, et dolor sæpe sentitur quasi e pectore retrorsus in dorsum ruens.

Ægrè quoque remittunt motus abnormes quum fibræ cordis injuriâ affectedæ sunt, neve in exemplis *aortæ aneurismatis*. *Aortæ aneurisma* nonnunquam distinguatur sensu quodam molestiæ spinam versùs cum pulsatione vehemente in vertebrae dorfi, tumore externo aliquando comitatâ. Cor *aneurismate* laborans sæpe mirum in modum magnitudinem augetur. Est ubi pulsationes ejus tactui à ventriculo ad summum usque pectus obviæ factæ sunt *. Corde dextro amplificato, dilatatâ venâ cavâ, valvulæ tricuspides seorsum sæpe retinentur, adeo ut haud valeant ad foramen suum debito

tempore

* Joannis Bell Anatomy.

tempore stipandum. Hinc fit ut, corde se deplente, sanguinis portio retrorsum ruat et fluctuatio, arteriarum pulsûs instar, ad venas jugulares usque perveniat *.

Conversio in os, valvarum præsertim, sono quasi sibilante interdum denotatur, sanguinis nimirum in rigidum concretum obstantem ruentis eumque perturbatè transeuntis. Hoc tamen non satis proprium *ossificationis* signum est; sæpe enim observatum fuit ubi nihil hujusmodi aderat. Sunt qui hoc experiuntur *aneurismate* laborantes; fuit qui idem sensit nullo etiam vitio structuræ nisi cordis parietum crassitudine existente.

Quandocunque cordis inflammatio, vel *aneurisma*, vel *ossificatio* planè dignoscuntur, tunc maximè metuendum, fere desperandum est.

Morbus

* Senac.—Lancisi.

Morbus primarius, cujus palpitatio *symptoma* tantum est, signis sibi propriis detegatur. Cognitâ ejus naturâ palpitationis exitus faciliùs et accuratiùs prænuntiabitur.

Pulsus intermittentes atque enormes non æquè infantibus vel senibus ac adultis metuendi.

Minimè cupiat medicus discere palpitationem morbo acuto supervenisse.

Quando autem consensu partium, vel ventriculo nimiùm referto fit accessus, fausta sunt prognostica.

Cùm debilitas origo mali est, felicem sperare eventum plerumque fas est; quamvis non negandum sit quin *aneurisma* vel cordis inflammatio hanc etiam causam aliquando sequatur.

Tristitia, melancholia, *hysteria*, alvus adstricta, palpitationem comitantes ipem medico injiciant;

ciant; cor enim non primitus fuisse affectum verifimile reddunt. Eadem spes *paroxysmis* longis intervallis divisis, vel motu modico minimè excitatis, concipiatur.

Quum pro certo compertum est actionem cordis abnormem vitio ejus primario vel organo malè formato deberi, clinicus quisque prudens curationem perficere deneget. Symptomatum vehementiam cohibere, frequentiam minuere, progressum tardare fortasse poterit; sed his finibus coërcetur imperium in hanc speciem morbi.

Haud sæpe sanè evenit ut locus sit hujus morbi, vehementioris saltem, exitum, five felicem five infaustum confidenter prædicendi. Medico etiam peritissimo aliquando contingit nullo modo posse cognoscere causas morbi; nec rarò accidit ut effectibus inopinatis conturbetur. Multa enim fuerunt exempla ægrotorum, qui dum convalescere viderentur, inter ipsas amicorum gratulationes exanimis subito corruerint; nec de-

sunt

sunt documenta sanitatis restauratae postquam mors quam proximè instare credita esset. A spe igitur nimiâ aequè ac nimis tenui sedulò cavendum est.

RATIO MEDENDI.

Medela hujus morbi variet secundum singulorum ejus exemplorum naturam necesse est. A suâ experienciâ multa discet æger, quae ad dolorem mitigandum valeant; qualis, v g. positio corporis, plurimae fit ei levationi, vel quae res ad malum augendum conducant.

Quoniam a causis morbi concilia curatoria pendent, hujusmodi erunt :

I. *Imo. Amoveatur a corde stimulus insolitus.*

II. *Ido. Tollatur irritabilitas morbida musculorum, atque sensibilitas morbida nervorum.*

III. *Ido. Evitentur causae excitantes.*

CONSILIUM I.

Si irritatio a nimio fanguine venit, venâ per-
tusâ minuetur. Durante vel instante *paroxysmo*,
in omni ferè motu cordis immodico egregiè pro-
dest, cùmque adest *plethora*, hic oneris depon-
nendi modus ad mali reditum depellendum, re-
mittente etiam molestiâ, commodè tentabitur.
Quando morbus speciem periodicam induerat,
Galenus, hoc fretus, felicissimos adeptus est
eventus. Cavere tamen oportet ne frequentius
aequo repetatur sanguinis detractio; haec enim
plurima mala post se ducit, vitium demum auc-
tura ad quod sanandum primitus usurpatum
erat. Ducatur alvus lotionibus per anum infu-
sis, vel remediis laxantibus per gulam sorptis,
vitatis semper cathartics acrioribus, atque omni-
bus, quae sanguinem in caput vehementius im-
pellant. Exercitatio quoque modica e re erit,
sed citra lassitudinem vel defatigationem cautè

E

contineatur

contineatur gradus. Evitandae carnes. Lacte praecipuè vescatur æger, saepiùs in die edens, sed parum uno quovis tempore assumens. Pro potu nihil aquâ purâ fortius capiat. Minimè igitur vina vel cibos conditos prae manibus habeat.

Haec quoque praecepta, sanguine vitiato, atque profectò in palpitationis a quacunque ferè causâ ortae curaturâ, nisi adsit debilitas, observanda sunt.

Ad flatus summovendos, *carminativa* quae vocantur remedia, nec sine commodo, usurpantur. Aqua, v. g. menthae *piperitidis* cum magnesiâ albâ commista ventriculi distensionem, nonnunquam cum insigni levamine ægri amovebit, vel minuet faltem. Una enim spiritui incluso, altera acori obest. Praeter pulverem suum haustumque *anodynum*, eundem sibi finem proponens, lotiones *carminativas* dictas per anum infundebat Hoffmannus. Ad talia remedia adjungatur pedum

dum in aquam tepidam immersio, quae vi *anti-spasmodicâ* praedita, sanguinem a capite deorsum divertat, multum levationis salutisque afferens.

Si secretiones vel eruptiones repulsae palpitationi originem praebent, remedia quae sudorem movent magno beneficio erunt.

Remedia cuti extrinsecùs admota multùm profutura ad morbum in medio corpore situm sanandum, primâ specie, vix credibile esset. Hoc tamen adeo certum est ut nihil magis; experientiâ enim satis confirmatum est. Vesicantia, atque etiam *cauterium*, ut vocatur, *potentiale* ad morbum depellendum feliciter adhibita sunt. Si cantharides nimium irritent; eorum in locum sinapi vel ranunculus acris sufficiatur*. Fo-
menta

* Secundum Dris. Ferriar experientiam, " Local inflammation, whether produced by specific disease or the action of rubefacients, possesses a power of alleviating
" this

menta quoque dorso vel juxta præcordia applicata palpitationem mitigâsse ferunt. Cum *opio* mista, vel ex *Nicotiana* constantia fortasse efficaciores fierent.

Acidis quoque in ventriculum ingestis haud parum saepe proficitur. Haec enim, quippe quibus inest *oxygenium* nec cum calore commistum, ad corpus refrigerandum conducunt: ab *oxygenio* sub aëris soli formâ derivatur animantium, ut videtur, calor:

Quando morbus a vitio priore cordis originem trahit, spe mali, ut jam dictum est, radicitus tollendi non nosmet permulcere fas est. In *Medical Histories* tamen Dris. Ferriar, cujus verba jam mutuatus sum, varia adducuntur exempla quae
certum

“ this complaint, even when supported with organic lesions of the heart itself.” Vide Dris. Ferriar *Medical Histories*.

certum, vel faltem verifimile reddunt dilatationes etiam cordis, diverfis caufis, actione præfertim remediorum, quae fecretionem urinae expediunt, progreflum retardari. Inter haec, præftantiffimâ vi pollet *digitalis* purpurea, quae mirâ prorfus poteftate pulfuum velocitatem reprimen-
di gaudet*.

CONSILIUM II.

Confilium fecundum remediis roborantibus et
antifpafmodicis dictis ferè perficitur. Haec, in-
ftante

* “ I have known *Digitalis* to remove the complaint
“ entirely where it had rifen to an alarming degree in con-
“ fequence of terror and intemperance ; and even in cafes
“ depending on organic lefion of the heart or great blood-
“ veffels, it has relieved the fymptoms, and rendered life
“ not only longer, but more fupportable. It is evident,
“ that I mean to except from thefe obfervations the fymp-
“ tomatic palpitations which accompany *dyspepfia*, or a
“ ftate of general nervous debility.”

Dris. Ferriar *Effay on Digitalis*, 1799.

stante plerumque vel praesente *paroxysmo*, illa, durante intervallo quietis, sunt adhibenda.

Ex roborantibus, ea quae ex chalybe conflantur mirum in modum profecerunt. Venter enim debilem in pristinam vim restitunt, nervorum actiones mitigant, menses muliebres, sui juris factas, in legum solennium observationem redigunt, parcas augent, nimias reprimunt. Hoc pacto plurimis mali originibus directe occurrunt, et inter efficacissima hujusmodi medicamenta merito habentur. Morbofo verum pulmone, non sine incommodo, vel etiam periculo, usurpantur.

Nec beneficio sane carent amara atque *cardiaca*. Haec quidem nomen sibi met nata sunt a dotibus, quibus pollent in cordis viribus excitandis, reficiendis, augendis. Utraque roborant, digestionem promoventia. Cardiaca maximo sunt commodo ubi adsunt dolor, flatus, debilitas,

bilitas, animi deliquium. Aliàs, ut facilè credendum est, nonnunquam nocent.

Balneum quoque frigidum ad hoc malum summovendum haud parum conferat. Judicio subactò adhibitum, inter potentissimos ordines roborantium jure collocatur. Ad motus quosdam abnormes, maniam, e. g. atque *Tetanium*, debellandos, exitu felicissimo, dum aderat *paroxysmus*, usurpatum est*; num prodesset effectus in cor adhuc convulsum aliquando experiri?

Inter remedia quae adversus *Spasnum* valent, *asa fætida* locum insignem tenet, et ad hunc morbum sanandum multum in se habet virtutis. Proximos ei honores occupavit *aether vitriolicus*. *Opium* reverà efficit ut cor, per aliquod tempus, stimuli segniùs irritent; sed brevi evenit ut plus
quàm

* Vide Doctoris Currie *Medical Reports*.

quam antea irritabilis fiat. Ad hoc remedium nunquam non cautè fugiendum est ; sed ubi pulsus est tenuis, præsertim si ad animi defectionem sit proclivitas, tum profectò minimè adoptandum.

Sub pleno Jove vires suas exerceat atque recreet infirmus, atque, procul negotiis, inter hilares focios, jucunda ducat oblivia sollicitæ vitæ. Aër enim purus, exercitatio, hilaritas, in corpore pariter ac mente roborandis, plus valent quàm ullum quod *pharmacopolio* inest medicamentum.

Quando malum merè *symptomaticum* est, morbum unde oritur expugnare præcipuè oportet.

CONSILIUM III.

Tertium demum consilium diætam, vestitum, exercitationem, intestinorum statum, studia, mores, animi affectus, temperiem, res circumstantes,

cumstantes, spectat. Debita eorum ordinatio ex jam dictis est discenda.

Ante omnia ad ægroti animum adhibeatur attentio. Disquisitionibus abstrusis minimè abforbeantur cogitata mentis; nec gravi dolore nec irâ nec nimio gaudio nec metu neque alio quovis affectu vehementi, si ab his ullo modo præcavere licuerit, agitetur animus. Præscribere tamen quàm adhibere remedium multo facilius est; atque semper dolendum ne motus animi quidem sui, nedum eorum quibus affidet, penès medicum esse. Nihilominus, quoad poterit, periculum antevertat, atque hoc consilio libros inter alia quibus utitur, ne hi ad animum perturbandum apti sint, sedulò animadvertat. Calor atque frigus pariter fugienda. Neque vestitus adeo sit arctus ut sanguinis motum impediat. Exercitatio sit modica, viribus ægroti accommodata; semper enim in memoriâ habendum est quo magis vires defecisse, eo plus in corporis agitatione inesse periculi. Donec hoc

malo laborabit, in castris Veneris cautè, si unquam, militet. Alvus adstricta solvatur, laxa cohibeatur. Perspiratio repressa revocanda est. Diaeta, tenuis atque refrigerans, parum stimulet, multum contineat nutrimenti; “ac cibi,” ut ait Hoffmannus, “qui flatus movent, cane pejus et angue evitentur.” Atque hìc loci liceat specialiter indicare infusum foliorum *theae*, quod tam copiosè in ventriculos Britannorum indiès infunditur. Hæc potio, quæ, ut levissimè loquar, parum nutrit, palpitationem, in iis qui ad morbum sunt procliviores, mirum in modum excitat. Medicus præclarus, mihiq; amicissimus, qui hoc morbo subinde laborat, certiore fecit quod seminum molitorum *coffæ* Arabicæ decoctum magno cum suo commodo vicè *theæ* infusi sorbere solet*.

Hæc

* Consul primarius Galliæ, Napoleo Bonaparte, palpitationes quibus sæpissimè vexatur eodem modo permulcere dicitur.

Hæc sunt quæ de modis sanandi, mitigandi, depellendi morbum dicenda habui. Remediorum administratio multarum rerum ductui, utpote *symptomatum* vehementiæ, frequentiæ, commorationis, conjunctionis, causarum, subjicitur. Maximè dolendum est multa medicamenta jam præscripta, eorum etiam quæ operatione certissima sunt, curationem imperfectam edere. Ad malum mitigandum tantùm, vel profectò in breve solùm tempus, mox rediturum, repellendum, valent. Quo diutiùs vexatus fuerit ægrotus, eo difficiliùs adimetur consuetudo morbida, quæ, vires acquirens eundo, sensim stabilitur, demum causis quàm levissimis excitanda. In hoc igitur, haud secus ac in aliis morbis, maximè interest ægroti ut principiis obstetur, quò magis a progressu ejus priùs præcaveatur quam adeo invaluerit ut repelli non poterit.

In summâ, palpitationem formidolosum esse malum fatendum est; atque ex dictis fatis constat medicum etiam peritissimum nonnunquam

in

in obscuro incertoque conjecturæ labyrintho, filo nullo tenui vestigia dirigente, causas anxie indagare; cumque id etiam quod perquirebat jam attigerit, mentem pari dubitatione jactari de modo quo ad curationem perficiendam sese accingat. “ La Nature a mis entr’ elle et nous
 “ des barrières presque impenetrables; en se
 “ refusant à nos recherches, elle semble nous
 “ reprocher une curiosité téméraire qui ne nous
 “ découvre, le plus souvent, que l’impuissance
 “ de nos efforts.”—(SENAC.)

FINIS.

